

in opere præterquam Aspasi & Sosigenis qui fuit præceptor Alexandri, mentio facta reperiatur, Aspasi memorat in vtrisque libris, Sosigenem in posterioribus modo citat nominatim, cum appellas suum præceptorem. Quod si quis urgeat pertinacius, negans (vt video quosdam obmurmurare) sibi posterioris partis enarratione plane nonnullis in locis satisfacere, quæram ab eo, quisnam homo ipsi in cunctis satisfaciatur? & cum nullum (vt certum habeo) responderit, petam ab eodem, ne vim diuinam poscat in humana imbecillitate, & boni consulat, si Alexander, vt in aliis, sic hoc in loco omnes & Græcos & Latinos enarratores longe superauit. His argumētis tam aperte istorum error detegitur, vt nemini non sit futurus illustris, nisi si cui etiam meridie sol lucere nõ videatur: vt sciant omnes, quantum tibi ætas nostra hoc quoque nomine debeat, quod tales tantosq; auctores velut capite diminutos, in libertatem asserendos, ac variis tenebris depressos, in lucem, nec eam, vt spero, malignam, cures reuocandos. Vale.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI IN LIB. QUINTVM PRIMAE PHILOSO.

phia, qui Latinis est Sextus, Interprete

Ioanne Genesio.



orum quæ sunt, principia hac in facultate, causæque quæruntur, atq; vt patet, ea sane ratione qua entia sunt. Est enim quippiam sanitatis bonæq; valetudinis causa, & mathematicorū sunt itidem principia, & elementa, & causæ. Atq; omnino scientia omnis intellectiua, aut aliquo modo particeps intellectus, circa principia, causasque, aut exactiores, aut simpliciores versatur. verum hæ omnes vnum quid, genusq; quippiam exceptum sumentes, de hoc sane, sed non de ente simpliciter, neq; vt est ens, considerationes suas efficiunt, neq; vllam de ipso quid est rationem omnino faciunt, sed ex hoc partim dilucido per sensum facto, partim vt suppositione sumpto, ea deinceps hoc pacto quæ per se competunt ei generi circa quod ipsæ versantur, aut exactius, aut mollius sane demonstrant. Idcirco patet tali ex inductione, substantiæ atque ipsius quid est demonstrationem non esse, sed quendam declarationis alium esse modum. Simili modo neque si sit, an non sit genus id, circa quod versantur, dicere quicquam videntur, propterea quod eiusdem est mentis, quid est, & si est quippiam, declarare.

Enarra. 1.



Primum philosophiam ens in eo quod ens est, considerare, multis in locis ostendit Aristoteles. Cæteræ namq; disciplinæ ens inter se partitæ sunt, & in sua quæque parte versantur, non eius naturam inquirens, nec ipsam tanquam ens contemplans, sed eius accidentia rimando. Astronomia enim non differit de stellarum natura, sed ipsarū motus progressusq; ac regressus contemplatur. Hæc igitur sæpe testatus, subobscurè hoc in libro, apertius in consequente, illustrius etiamnum in posterioribus ipsam in entis qua ens est cognitione versari docet, ac de cuiusq; definitione differere, & quomodo quodque definiendum sit, aperire, siue intelligibile sit, siue quid aliud, eademq; quorum habeantur definitiones, & quorum secus, explicare. Quæ si huiusmodi est, nimirum in entis qua ens contemplatione versatur. Cæterum sit ne qualem esse dicimus, necne, in consequentibus libris planum fiet. Iam ad dictorum enarrationem accedamus. (Eorum quæ sunt, principia hac in facultate causæque quæruntur.) Admonet nos, id quod sæpe dictum est, causas & principia entium hac inquirendam doctrinam. Entium videlicet in eo quod entia sunt, causas inuestigat philosophia prima. Principium autem latius patere quam causam, & cur, & quomodo sit vniuersalius, multis est in locis declaratum. Causas vero entium, qua sunt entia, a proposita doctrina cõquiri, ex eo docet, quod hoc a nulla cæterarum disciplinarum præstat, sed ab omnibus ad primam philosophiam defertur, id munus ab ipsa velut a principe ac scientiarum regina postulantibus. (Est enim, inquit, quidpiam sanitatis bonæq; valetudinis causa) sanitatis, exempli causa purgatio, ac venæ incision: recte valetudinis, forsitan exercitatio. Sunt etiam mathematicis sua principia, propriaq; ele.

Entiū, quatenus entia sunt, causas inuestigat philosophia prima.

menta. Ad summam omnis doctrina tum intellectualis, tum actiua (hanc enim significat cum ait, (Particeps intellectus) neque enim agenda citra intellectum geruntur) in causis, principijsque considerandis versantur, vel exactioribus, vel simplicioribus. Principia enim Geometriæ, Astronomiæ principijs exactiora sunt, quanquam huius subiectum, Geometriæ materiæ longe præferatur, ut dictum est a nobis in libro de Anima. Principia igitur Geometriæ exquisitiora, exactioraque sunt, propterea quod ipsius demonstrationes minime refelli queunt. Sed cum omnes, ut modo dicebam, in principijs causisque versentur, hæc tamen singulæ de certo ente, non de ente qua ens edisserunt, sed partem quandam entis, & genus quoddam subiectum circumscribentes, ac velut decedentes, in causis illius investigandis sunt occupatæ, nec entis simpliciter causas, aut ens in eo quod ens considerant, neque de quid est & substantia quidquam edisserunt. (Sed ex hoc, inquit, partim dilucido per sensum factum) ut medicina causas elementarum compositorum per sensum inuestigat. Horum enim dissolutionem in quatuor simplicia corpora abeuntem conspicata, ex ipsis ea consistere deprehendit. Eadem ignem calentem & siccum esse, aquam frigentem & humidam sensu explorat, planumque facit, non ratione, quoniam physici est, aut physico superioris munus, ignem calidum & siccum esse, terram siccam & frigidam, aerem calentem & humidum, ratione ac demonstratione planum facere. Medicina igitur cum hæc sensuum, ut diximus, testimonio habet explorata, de ijs quæ sibi subiecta sunt, conficit demonstrationes. Arithmetica vero neque sensus argumento, neque ratione quid sit unitas ostendit, sed unitatem substantiam esse situ vacantem ponit, ut Geometria signum esse substantiam positionem habens, vel cuius nulla pars est. Et illud, quæ sunt eidem paria, ea inter se quoque paria sunt. Et per hæc demonstrant quæ generi ac subiecto in quo versantur, per se accidunt, id est, Arithmetica numerorum, in quibus versatur, affectiones per se suppetentes, Geometria magnitudinum. Ac eodem modo medicina, quæ ad ipsam priuatim pertinent, rimatur. Per hæc igitur sua quæque demonstrat, coactius, aut mollius. Nam cuius principia exactiora sunt, eius demonstrationes maiore necessitate concludunt, ut Geometriæ. Cuius vero minus exactæ, ut Astronomiæ ac medicinæ, eius demonstrationes magis sunt remissæ, mollioresque. Cum igitur ad hunc modum suorum quæque principiorum quid est, ac substantiam & definitionem exposuit, de subiecto sibi genere disputat. Sed fides a sensu & inductione facta, non est demonstratio: ut in libro de demonstratione ostensum est: cum liceat inductioni, cuique occurrere, nec eam permittere vniuersale concludere: ut intelligatur, ex inductione huiusmodi minime substantiæ, & quid est, ac definitionis demonstrationem constare. Sed est alius modus, quem proximo in libro declarabit. Neque vero solum ignis definitionem medicina, ut in eodem exemplo persistamus, non demonstrat, sed ne homo quidem in quo versatur, sit necne considerat: & merito. Nam cum hominem esse nequeat aliter demonstrari, quam si demonstretur ipsum esse animal pedestre bipes, hoc autem fieri nequeat, cum definitionis non sit demonstratio, sed per demonstrationem declaratur, ut ipse ipsis verbis in secundo posteriorum testatus est, haud dubie hominem esse demonstrari nequit. Sed quoniam, ut explicatum est supra, ad eandem doctrinam pertinet, quid est planum facere, ad quam si est, non pertinet autem ad ipsam medicinam quid est homo demonstrare, ergo ne ostendere quidem an sit. Post demonstrationem autem si est, necesse est demonstrare quid est, nec fieri posse ut quisquam si est demonstrat, ut idem quid est non ostendat, ne dubitari quidem debet. Si enim iussi ab aliquo hominem esse demonstrare, ab eo quæsierimus, num si planum fiat animal esse, concedes esse hominem: haud dubie negabit, cum ei sit in promptu dicere, equum itidem esse animal: ac proinde si demonstretur animal esse, non protinus hominem esse demonstrari. Idem rogatus a nobis, si vero ostendatur esse animal pedestre bipes, daturus ne sit hominem esse, annuet profecto, atque consentiet. Quod si ita est, recte dicebatur, qui hominem esse demonstrare debet, huic consentaneum esse, quid est, ac definitionem eius demonstrare.

Cum autem & naturalis scientia circa genus quodpiam eius quod est, versetur (circa namque substantiam versari talem videtur, in qua principium ipsum motionis inest, atque quietis) patet neque actiuam neque effectricem ipsam scientiam esse. nam efficiendarum quidem rerum principium, siue sit mens, siue ars, siue potentia quædam, in ipso est, ut patet, efficiente. Agendarum autem rerum, in ipso agente, ipsa inquam electio. Res enim est eadem quæ sub actionem electionemque cadit. Quare si mens omnis aut actiua est, aut effectiua, aut contemplatiua, naturalis profecto facultas contemplatiua quædam scientia est, sed circa ens tale contemplatiua, quod motu cieri potest, & circa substantiam eam plerumque quæ ad rationem accommodatur inseparabilem solum.

Cum autem & naturalis scientia circa genus quodpiam eius quod est, versetur.) Propositum est Aristoteli naturalem doctrinam contemplatricem esse, non actiuam, ostendere, & in eo ente, quod in se motus & quietis principium habeat, hoc est, in corpore naturali versari (quanquam si naturale corpus id esse intelligitur, quod in se motionis atque quietis principium habet, omne autem circumlatum cœlestique corpus licet principium suæ motionis habeat, caret tamen quietis principio, nimis enim cœlestis corpus non est naturale. An cœlum quoque principium habet quiescendi? Nam circa idem

Geometriæ principia exactissima.

Fides a sensu facta, non est demonstratio.

Naturalis scientia, cōtemplatrix est.

conuerti, neq; locum mutare, id ipsum quiescere est. Itaq; immobiliter mouetur, & cum mirabiliter moueatur, quiescit. Porro physicam contemplatricem esse necessarium fuit demonstrare. ex hoc enim ostendit, tum materiam ab ipsa, tum vel magis formam considerari. Est autem cuiusq; rei forma, quiditas ipsius. Quod si magis quiditatem cuiusq; considerat, danda opera est, ne quiditas quid sit, ignoscatur. Quod est propositum inquirere. sed & ipsa quiditatis inquisitio necessaria esse ostenditur. Nam cum hæc doctrina ens in eo quod ens consideret, principiaq; eius inuestiget, cognoscere autem ens qua est ens hoc sit, quod posse cuiusq; rei quiditatem seu definitionem explicare, satis aperitur huiusmodi inquisitionem esse necessariam. Porro physicam contemplatricem doctrinam esse, in hunc maxime modum argumentatur. Physica est doctrina. Omnis doctrina est contemplatrix, vel actiua, siue effectiua. non est autem physica actiua neq; effectiua. est igitur contemplatrix. Nam quod physica sit scientia, omnisq; scientia sit contemplatiua, actiua vel effectiua, adeo in confesso est, ut ne probationem quidem eius adhibendam curauerit. Assumptionem autem illam, non esse physicam neq; actiuam neq; effectricem, ad hunc modum ostendit. Sed illud est intelligendum artes hoc in loco scientias communiore vocabulo nuncupari. Sic igitur assumptionem demonstrat. Agendarum, efficiendarumq; rerum principia & causæ motionis & quietis non sunt in ipsis, naturalium autem principia causaq; motionis atq; quietis in ipsis habentur. naturalia igitur non sunt neq; agenda, neq; efficienda. Ac proinde scientia, quæ in naturalibus versatur, non est actiua, neq; effectiua. Ac conclusio quidem rationis huiusmodi est. Ipse vero cum dixisset, (Nam efficientium quidem principium est in efficiente) adiecit (siue mens, siue ars, siue potentia) propterea quod quæ vel mente, vel arte, vel potentia efficiunt hæc facultate quæ a mente & arte proficiuntur, officio suo funguntur. Sed fortasse illud, (Nam efficientium) non est actiue accipiendum, ut de causis intelligatur, sed passiue, ut efficiendum pro efficiendorum scriptum sit. Immo vero sic ab ipso initio relictum fuisse adducor, eo quod adiungitur (Agendorum vero in agente, ipsa inquam electio) qui locus si ad hunc modum legatur, non erit sensus dubitabilis. Nec opus erit illud (in ipso efficiente) pro in ipsis accipere. Si quidquam ergo mihi diuinanti creditur, dictio in hunc modum corrigetur (Nam efficiendarum quidem rerum principium, siue sit mens, siue ars, siue potentia quædam, in ipso est efficiente) non in rebus efficiendis: ac proinde agendarum principium, id est electio, non est in re agenda, sed in agente. Si enim idem est agendum quod eligendum, nec est electio in eligendo, haud dubie ne in agendo quidem fuerit. Est autem effectiua scientia, ut in moralibus Nicomachijs latius explicatur, ea cuius opus post actionem manet, ut ars ædificandi. Nam post ædificationem opus eius, hoc est domus, persistit. Actiua vero, ut ars saltandi, si quidem post saltationem nihil superest. Cum igitur physicam contemplatricem esse docuisset, concludens adiecit. Quare si mens omnis aut actiua est, aut effectiua, aut contemplatiua, physica si neq; actiua est neq; effectiua, hoc enim est subaudiendum, erit profecto contemplatrix. Contemplatrix autem corporis naturalis. Hoc est enim quod ait, (Sed circa ens tale contemplatiua, quod motu cieri potest) Sed quoniam ut in naturali doctrina dictum est, cum materia substantia est, tum multo magis forma, cum dixisset (Sed circa ens tale contemplatiua quod motu cieri potest) suggestit illud (Et circa substantiam eam plerumq; quæ ad rationem accommodatur.) quali dicet, Naturalis disciplina versatur illa quidem in substantiæ materialis cognitione, sed parum, magna vero ex parte in consideratione eius substantiæ, quæ per rationem atq; formam accipitur. Quod vero post verba illa, (Et circa substantiam eam plerumq; quæ ad rationem accommodatur) adiecit, (& non separabilem tantum) significare videtur naturalem doctrinam formam considerare, non separabilem tantum, sed etiam inseparabilem. Sed non est hoc quod ait, differere videlicet & de separabili & de inseparabili, sed (non separabilem solum) dixit pro inseparabilem solum, id est, substantiam solum inseparabilem, & non valentem a materia sciungi. His dictis infert

Quiditas, cuiusq; rei forma.

Effectiua scientia.

Naturalis disciplina in quo versetur.

Non lateat autem oportet quomodo quiditas atque ratio sese habet in naturalibus rebus. nam absque hoc talium rerum quærere rationem perinde est, atque si nihil profusus agatur. Definiendarum enim rerum, & quarum ipsum quid est assignamus, aliæ uti simum, aliæ uti concauum esse videntur. Hæc autem differunt, propterea quod simum quidem cum materia est comprehensum, est enim simum concauum nasus. at concauitas sine sensibili materia est. Quod si naturales res omnes perinde atque simum dicuntur, ut nasus, oculus, facies, os, caro, omnino animal, folium, radix, cortex, omnino planta, nullius enim ipsorum ratio motionis est expers, sed materiam semper habet, patet quoniam pacto naturalibus in rebus ipsum quid est quærere, definireq; oportet, & quamobrem ad naturalem philosophum pertinet de aliqua anima contemplari, quæ non sine materia est.

Nō lateat autem oportet, quomodo quiditas atq; ratio sese habet) Id est, intelligere oportet quomodo definitio atq; ratio sit in naturalibus inquirenda. Vtrum re quapiam naturali definienda, materiam quoq; definito subiectam in definitione cōplecti oporteat, necne? Si enim in quiditate ac defini-

tionem inquirentes, num cum materia, an absq; ipsa definiendū sit, ignoremus, frustra operam susceperimus. Ergo ubi dixit (absq; hoc talium rerum quærere rationem, perinde est, atq; si nihil prorsus agatur) per partitionem ostendit, necessarium esse rem quampiam naturalem definiendi materiam quoq; in definitione comprehendere, & fieri non posse, vt absq; ipsa rei naturalis definitio constet. Quæ omnia huc comparatur, eoq; pertinent, vt ex his appareat non posse formam naturalem ipsam per se absq; materia consistere, vt idearum auctoribus placebat. Efficit autem partitionem cum ait, (Definiendarū enim rerum, & quarum ipsum quid est assignamus.) id est, quæ definiuntur, & quarum quid est inquiritur (aliæ vti simū.) Nam vt simum defini non potest, quin nasus velut ei subiecta materia sumatur, sic naturales formæ absq; materia defini nequeunt. Quo in loco materiam appellat, vt in proximo libro declarabit, genus & discrimina differentiam vltimam antecedentia. sed hoc quale sit, explicabimus suo loco. Partim igitur sunt vt simum (aliæ vti concuum.) Nam inter simum & cauum hoc interest, quod simi determinatū certumq; subiectum est nasus, quoniam sine naso non constat simum. Siquidem qui simum dicit, is nasum cauum dicit, cum interim cavitatis subiectum certū nullum habeat, quippe quæ in materia sensibili naturali sit, & absq; materia sensibili, quod enim in materia sensibili habeatur, certum est. Nam & terra caua est, & ferrū cauum, & lignū perinde & pleraq; alia caua esse constat. Cæterum in nō sensibili quoq; inest. possumus enim cauum quidquam, siue cavitatem intelligere, quæ neq; in ferro sit, nec in ligno, neq; in aliquo alio ente sensibili. At simitas, vt modo dixi, absq; subiecto intelligi nequit. Sed postquam dixit (aliæ vti simum, aliæ vti concuum esse videntur) illud suggerit, (quod si naturales res omnes perinde atq; simum dicuntur) id est, si quemadmodum simum, ita hæc absq; subiecto & materia intelligi nequeunt. Hoc est enim quod ait, (Nullius enim ipsorum ratio motionis est expers) motum appellas materiam. haud dubie, inquit, in rebus naturalibus quid est, atq; definitio cum materia est inuestiganda, quæ materia vsq; adeo physico ad definiendum accommodatur, vt is animas etiam rationis expertes consideret, definiatq; propterea quod hæc absque materia non constant, neq; a suo subiecto seiungi valeant. Qui si rationis quoq; composites animas cōsiderat, in libro de anima causa est a nobis explicata. Prefatus igitur illud (quod si naturales res omnes perinde atq; simum dicuntur) quæ sint res naturales, quæ vt simum dicantur, aperte commemorat, dicens (vt nasus, oculus,) & cætera.

Naturales
formæ absq;
materia
definiri nequeunt.

Naturalem igitur facultatē contēplatricem esse, ex hisce quæ dicimus, innotescit. at ipsam mathematicā contēplatiuam scientiā esse constat: sed si est immobilium separabiliūve, nūc obscurū esse videtur. tamē esse aliqua mathematica, quæ quidē vt immobilia atq; vt separabilia contēplatur scientia mathematica, patet. Quod si quippiam sit in ratione rerū immobile sempiternū ac separabile, patet ad contēplatricem quidem scientiam illius cognitionem spectare, nō tamen ad naturalem, quippe cum naturalis facultas circa mobilia quædā versetur, neq; ad mathematicam, sed ad aliam his vtriusq; priorem. Naturalis enim circa inseparabilia quidem, sed non immobilia versatur. Mathematicæ vero nonnullæ circa immobilia quidē, at nō fortasse separabilia, sed vt in materia sunt, versantur. At prima circa separabilia ac immobilia sane versatur.

4 Naturalem igitur facultatem contēplatricē esse ex hoc innotescit. At ipsam mathematicā contēplatiuam scientiam esse constat. Postq; Physicam ab actiua & effectiua scientia seiunxit, cū ipsam contēplatiuam esse doceret, nunc eandē a doctrina mathematica discernit, in hunc maxime modū argumentando. Mathematica quæ intellectualis est, de immobilibus differit, physica autem, quæ & ipsa est intellectualis, neq; de immobilibus differit, neq; separabilibus. physica igitur nō est mathematica. Ac syllogismus quidem huiusmodi est. Propositionum vero quæ ait, physica nō differit de immobilibus, neq; de separabilibus, sed de mobilibus, & ijs quæ secerni nequeunt, multis in locis est ab ipso probata. Illam vero, mathematica de immobilibus disputat & separabilibus, non demonstrat. Sed id quale sit, in libris consequentibus edocebit. Illud tamen ait. (Sed si est immobiliū separabiliūq; nūc obscurū esse videtur.) quasi dicat, Nos quidē mathematicam disciplinam in rebus immobilibus separabilibusq; versari hoc in loco sumimus, sed vtrum vere in his versetur, nō satis liquet. Esse tamen, inquit, quædā, ne dicamus omnia, mathematica, quæ mathematica disciplina in eo quod immobilia separabiliaq; sunt, contēplatur, certū est. Ad hunc igitur modū physica a cæteris doctrinis seducta, primā philosophiam a physica & mathematica distinguit, dicens, (Quod si quidpiā sit in ratione rerū sempiternū immobile ac separabile, patet ad contēplatricē quidē scientiā illius cognitionē spectare, non tamē ad naturalem, neq; ad mathematicā. quo in loco nō dixit aliquid sempiternū esse atq; immobile, sed (si est) propterea quod hoc nondum est demonstratū. Si ergo, inquit, aliquid est sempiternū & immobile, huius cōsideratio nō pertinet neq; ad physicā, neq; ad mathematicā. Ad physicā nō pertinet, quia non cōuenit considerantē mobilia & inseparabilia immota & separata contēplari. Non itē ad mathematicā: quoniam licet hæc de immobilibus differat, non tamen de separabilibus, vt ipse docebit, sed quæ in subiecto sunt atq; materia. Dixit autē, (Ex mathematicis nonnullæ) propter perspectivam, musicam, & astronomiam. Perspectiuus enim non dispu

Physicā a
mathematica
differere.

rat de lineis separabilibus, sed quæ in materia insunt. Quæ ratio eadem est in musico, & similibus. Porro verbum (fortasse) adiectum idcirco est, quia nondum in vniuersum, nullum mathematicum separatum & per se esse demonstrauit.

Omnes autem causas sempiternas esse necesse est, maxime autem istas. sunt enim causæ diuinorum hisce quæ sunt manifesta. Quapropter philosophiæ tres erunt contemplatrices, mathematica, naturalis, theologia. Non est enim obscurum, si vsquam ipsum diuinum est, in tali esse natura: atq; præstabilissimam facultatem, maximeq; honorabilem, circa id quod est præstabilissimum, maximeque honorabile genus versari oportet. Contemplatrices igitur scientiæ cæteris facultatibus sunt expetibiliores, vt patet: hæc autem expetibilior contemplatricibus est. Dubitauerit autem quispiam, vtrum vniuersalis sit ipsa prima philosophia, an circa genus quippiam vnamq; naturam versetur. Neq; enim vt ipsis mathematicis scientiis, idem est modus, sed Geometria quidem atq; Astrologia circa naturam quandam versantur, illa vero est vniuersalis omnium sane communis. Si igitur nulla sit alia substantia præter eas quæ natura constant, naturalis sane facultas prima scientiarum erit. Sin vero substantia sit in ratione rerum, quædam immobilis, hæc erit profecto prior, philosophiaque prima & vniuersalis, hoc pacto, quia est prima. Atq; de eo quod est vt ens est, & quidnam sit, & ea quæ ipsi competunt vt ens est, ad hanc profecto scientiam pertinet contemplari.

Omnes autem causas sempiternas esse necesse est, maxime autem istas.) Præfatus siquid sempiternum sit, ac immobile & separatum, huius cognitionem ad contemplatricem doctrinam pertinere, quod quaecumq; sit, omnino causa erit cæterorum omnium: illud suggerit, necesse esse, vt omnis causa & principium sit sempiternum. Nam si causa omnis generetur, profecto ex alio generabitur, idque in infinitum progredietur. (Maxime autem, inquit, istas) id est, maxime autem has separatas & immotas causas sempiternas esse necesse est. Cur vero hæc sempiternæ sint, ratione subiicit, dicens, (Sunt enim hæc causæ diuinorum hisce quæ sunt manifesta) quod subobscurè ob sermonis breuitatem dictum est. Sensus autem, nisi fallor, est huiusmodi. Quoniam hæc immota & separata causæ sunt diuinorum, id est, spherarum, diuinorumq; corporum, quæ quidem spheræ hisce quæ sunt manifesta, id est mortalibus rebus causæ sunt vt orientur & occidant. Siquidem horum ortus & interitus opera sunt cælestium motuum. Quod si circumlatum corpus sempiternum est, vt in quæstione de cælo demonstratur, nimirum causa corporis circumlati multo etiã magis erit sempiterna. Aut certe cum dicit, (Sunt enim hæc causæ diuinorum hisce quæ sunt manifesta) hæc causæ, pro hæc causa dictum est, quasi dicat, cum sint in sensibilibus diuina, omne scilicet corpus circumlatum, causa prima, causa fuerit horum sensibilibus ac diuinorum, vt sit sensus. Quamq; prima & immota causa, vtrum quorundam intelligibilium diuinorumq; causa sit, non satis exploratum habeamus, sensibile tamen ac diuinorum circumlatorumq; corporum causam esse constat. Cæterum in quibusdã exemplaribus ita scriptum est: (Et hæc sunt causæ sensibilibus manifestis) quæ scriptura si recte habeat, sensus erit. Hæc immota & separata causæ sunt manifestis sensibilibus, id est, causis quæ causæ sensu percipiuntur. Materia enim & forma causæ sunt, non tamē sensu manifestæ. Corpora vero circumlata, ortus & interitus esse causas, sensuum patet argumento. Sol enim dum ad Aquilonem accedit, generationis est causa: cum ad Austrum sese refert, interitus. Si ergo entia tripartito diuiduntur, & partim inseparabilia sunt, & mouentur, quædam inseparabilia & immota, alia separata & prorsus immota: dubium esse non debet, quin doctrinæ quoque tres numero habeantur. Physica, quæ in ijs versetur, quæ inseparabilia sunt, & mouentur. Mathematica, quæ ea tractet, quæ inseparabilia sunt & immota. Theologia, quæ separata & immobilia consideret. (Non est enim, inquit, obscurum, si vsquam ipsum diuinum est, in tali esse natura.) id est, patet enim diuinum separabilis esse ac immotæ naturæ. Quod si diuinum est, vt certe est, omnium præstantissimum, nimirum & theologia pari ratione quæ cunctis cæteris disciplinis præfertur, in genere diuino versabitur, nobilissima scilicet doctrina in genere nobilissimo. Vt enim cōtemplatrices actiuis efficientibusq; præferuntur, sic theologia cōtemplatricibus physicæ & mathematicæ. Porro quia scientiarum hanc esse nobilissimam docuit, idcirco illud adiungit. (Dubitauerit enim quispiam, vtrum vniuersalis sit ipsa prima philosophia) prorsus vt omnes cōplectatur, eiq; cæteræ vt particulares vniuersalibus subiiciantur, an non? Sed quæadmodum medicina, vel astronomia, & doctrinæ cæteræ in vna entis parte versantur, & vnã quandã naturam velut ex vniuersitate abscissam cōtemplantur, sic itē theologia partē quāpiam entis considerat: quoniam vt in disciplinis mathematicis notatur, Geometria disputat de magnitudinibus, Astronomia de stellis, & alia de alio, Mathematica vero simpliciter omnium est cōmunis. sic quid obstat quo minus physica aliquā entis partē cōsideret, aliã mathematica, theologia vero omnium cōmunis habeatur? Ad hūc igitur modum pposita quæstione respōdet, atq; (Si igitur nulla sit alia substantia præter eas quæ natura constant) id est, si ergo non est aliqua substantia præter naturales & sensibiles (naturalis sane facultas prima scientiarum erit) & vniuersalis. Sin autem alia

Rerū ortus
& interitus
causæ.

Corpora
circulata.

Solis effectus.

Entia tripartito
diuiduntur.

Doctrinæ
tres numero.

Theologia

quæpiam est substantia immobilis & separata, hæc prior erit quàm substantia naturalis, & scientia quæ in huius cognitione versabitur, philosophia erit, omniumq; prima, & vniuersalis ad alias, non quòd illas complectatur, sed quia ipsis omnibus prior habetur. Et ad hanc entis in eo quod est ens, cognitione, pertinebit & quæ sit entis natura, & quæ enti qua ens est cõtingat, cõsiderare. Quod si est ad alias vniuersalis, vniuersalia vero & nobiliora dissimilibus præferuntur, hæc nimirum cæteris antefertur. Et cum interrogat, vtrum vniuersalis sit prima philosophia, mea quidem sententia, non dicit vniuersalis pro eo quod est alias complectens, quemadmodum exponebamus, sed vniuersalem pro potiore & nobiliore dixit. Quæ vt cum sequentibus cohæreant, ad hunc modum interrogare, verbaque accipere oportet, Vtrum prima philosophia vniuersalis sit, nobiliorq; ac cæteris præstantior. Et hic sensus aptus est & conueniens responsioni illi (si igitur nulla sit alia substantia præter eas quæ natura constant.)

Verum enimvero cum id quod est, quod simpliciter dicitur, multis dici soleat modis. Nam & id quod est per accidens, & id quod est verum, ens dicitur, cui non ens opponitur vt falsum. præterea prædicamenti figuræ. aliud enim est quid, aliud quale, aliud quantum, aliud vbi, aliud quando, & si quid est istiusmodi: insuper præter hæc omnia id quod est potentia, atque actu: cum igitur id quod est, multis modis dicatur: primo de eo quod est per accidens, id dicamus oportet, nullam contemperationem circa ipsum versari: cuius illud indicium esse videtur. Nulli nanque scientiæ prorsus est curæ, neq; actiua, neq; effectrici, neq; contemplatrici, de ipso quicquam considerare. neque enim isce qui domum extruit, ea quæ simul accidunt extruendæ domui, conficit: quippe cum infinita sint. Quibusdam enim gratam, quibusdam molestant, quibusdam vtilem eam nihil prohibet esse, atq; omnino a rebus omnibus esse diuersam: quorum nullius est effectrix ædium extruendarum facultas: neq; geometriæ professor ea quæ hoc pacto figuris accidunt, neq; si triangulus ligneus, & triangulus duobus rectis angulos habes æquales, diuersi sint, contemplatur: atq; id ipsum recte fieri cum ratione; videtur. Accidens enim ipsum quasi nomine tantum est. idcirco Plato aliqua ex parte non male id quod nõ est, facultati sophisticæ tribuit. Rationes enim sophistarum circa accidens maxime omnium versari videntur. interrogat enim, est ne idem, an non est idem musicum atq; grammaticum, & item Coriscus musicus, atque Coriscus. Percontantur præterea, si id omne factum est quod est quidem, sed nõ perpetuo est. quare si musicus grammaticus factus est, & grāmaticus musicus factus est. & alias afferunt istiusmodi rationes id enim quod accidit, ei sane quod haud est, propinquum quippiam esse videtur. Patet insuper id ipsum & per tales etiam rationes. eorum enim quæ alio modo sunt, generatio est atq; corruptio. at eorum quæ sunt per accidens, non est generatio atq; corruptio.

Verum enimvero cum ens simpliciter dictum multis dici soleat modis.) Exposito theologiã ceteris doctrinis esse priorem, & huius peculiare munus esse, de ente in eo quod ens, deq; eius accidentibus considerare, sic ait. Quoniam ens plurifariam dicitur, vno modo quod est ex accidenti, vt Polycletus statuæ causa est. nam per se causa statuæ est statuarius, ex accidenti Polycletus, accidit enim statuario vt sit Polycletus. Alio modo ens dicitur quod verum est, vt e diuerso quod falsum, non ens. Nam sedente Socrate dicere, Socrates sedet, cum verum sit, ens appellatur. Ens enim, hoc est ipsum sedere, esse dicimus. Alio modo ens vocat prædicamenti figuras. (Aliud est enim quid) id est, substantia. (aliud quale, aliud quantum) & si quid aliud ad hunc modum significat. Præterea ens alio modo dicitur, quod est potentia vel actu, vt aquam dicimus actu esse aquam. Aerem quoq; & ignem aquam esse aimus, propterea quòd aqua fieri possunt. Cum ens igitur multifariam, vt explicatum est, dicatur, primum de ente per accidens differere conuenit. De quo illud intelligendum est, nullam doctrinam in ipsius consideratione versari, argumento quòd nulla disciplina accurate de ipso verba facit, non actiua, non effectiua, non quæ contemplatione contenta est. Nemo enim domum ædificans, efficit, aut omnino considerat quæ accidunt ædificandæ domui, quippe cum sint ea infinita, de quibus infinitis nemo sollicitus est. Itaq; nullus ædificator laborat, domus quæ construitur, Socrati exempli causa quàm pestilens futura sit, & quàm Platoni salubris, aut quàm Theophrasto iucunda, Alexandro vero ingrata. Pari ratione ne illud quidem considerat, diuersa ne domus ab homine sit, an idem quod homo: & simpliciter num diuersa sit a cunctis entibus sensibilibus & intelligibilibus, nihil considerat. Ex quo intelligitur, si nihil prædictorum pertinet ad ædificatoris considerationem, artē ædificandi non esse efficientem vt domus pestilens sit, aut e diuerso salubris, nec aliud quidquã ex ijs quæ domui ædificandæ accidunt. Pari ratione neq; Geometria de figurarum accidentibus disputat, neq; lignæ sint, an marmoreæ figuræ, considerat (Neq; si alter est triangulus, & triangulus duos rectos habes)

Ens per accidens.

Sophisticā
in nō ente
versari Pla
to statuit.

hæc dictio manca est, & supplēda additione verbi ligneus, aut alterius similis, vt expleta perfectaq; ad hunc modum habeat. Neq; considerat, triangulus ligneus alterne sit quā ipse triangulus, eiusq; natura, quod scilicet habet tres angulos duobus rectis æquales: sed illud tantū inquit, an cuiusq; triāguli tres anguli sint duobus rectis æquales. Vtrum vero lignei sint trianguli, an lapidei, Geometræ nihil interest. (Atq; id ipsum) nullum scilicet artificem ens per accidens contēplari (recte fieri, cūq; ratione videtur: accidens enim ipsum quasi nomine tantū est.) Nam vt hircocerus nomen solum est, non etiam res & natura quædam, aut omnino ens, sic ens per accidens nomen tantum est: quoniam domum pestilentē aut salubrem dicere, nomen modo est, res haudquā. Si quid enim subsistēs esset, nimirū quemadmodum ignis obuia quæq; comburit, sic domus omnibus in ipsam ingredien- tibus morbifica esset, aut vicissim salubris: quod nunc aliter vsu venit. Nam quæ his pestilens, eadem illis est salubris: quo planū fit, nomen id esse, non rem. De nō entibus autem, nemo considerat. Quo fit, vt merito de ipsis nullus edisserat. Quoniam igitur accidēs nomen tantum est, non autem ens a- liquod, sophisticā vero in accidēti versatur, idcirco Plato in non ente ipsam versari statuit, quasi ac- cidens sit, nō ens. Sophisticas autē rationes omnes in accidenti, ac non ente versari, hinc intelligi po- test, quod interrogant, grāmaticus idem quod musicus sit, an non? Tum si negaueris, instant, & hac captione vrgent, Socrates grāmaticus est, Socrates autem grāmaticus idem est quod Socrates, at So- crates etiam est musicus, Socrates igitur musicus idem est quod Socrates. Socrates ergo musicus idē est quod Socrates grāmaticus. Quod si verum est, vtiq; musicū idem est quod grāmaticum. ac proinde falsum est dictū musicum non esse idem quod grāmaticum. est igitur idem. Rursus si mu- sicum diuersum est a grāmatico, Socrates quoq; grāmaticus diuersus erit a Socrate musico, Socrates igitur a seipso diuersus est. Quibus captionibus hinc data est occasio, quod Socrates musicus idē est quod Socrates grāmaticus, & non idem: subiecto videlicet idē, ratione diuersum. Si ergo musicum a grāmatico diuersum esse dixeris, sic vt modo dixi, circūueniunt. sin idem esse affirmaueris, in hūc modum fallere tentant. Si grāmaticum idem est quod musicum, vbiq; grāmaticus est, ibi est musicus, quemadmodum vbi mortalis, ibi homo. at Aristarchus grāmaticus est, nō etiam musicus. grāmaticus igitur non est idem quod musicus. Rursus cum sit cōmunis omnium consensus, omne ens sempiternum esse, aut natium, sophisticæ id captione quadam tollere conantur, ceu aliqua sint neq; semper existentia, neq; generata. illud enim sibi sumentes, entium vnū esse, grāmaticum esse musicū, hoc non esse sempiternum ostentant, propterea quod non semper grāmaticus fuit musicus, sed fuit tēpus cum non esset. Sed neq; factum fuisse arguunt, quia musicus non efficitur grāmaticus. Si enim fiat, vel grāmaticus fiet ex musico quasi ex materia, vt statua ex ære: quod non fit, cum mu- sicū non sit materia grāmatici. vel tanq; ex opposito seu cōtrario, vt ex albo nigrū efficitur. At gram- maticum nō pugnat cū musico, cum plerunq; cohæreāt. musicum igitur non efficitur grāmaticum. Ex quibus concludunt, non igitur omne ens factū est, aut sempiternū. Præterea si grāmaticus esse- ctus est musicus, nō est factus grāmaticus musicus. est autem grāmaticus musicus: aliquid est igitur quod nō est factum. Ad hæc, nulla ars aut disciplina est, quæ de grāmatico musico disputet. Nemo enim quæ musicus est, efficitur grāmaticus, cum ex hoc in illud non sit mutatio, sed vtrunque fiat quæ homo est. Quāq; & sophisticarum dicta huiusmodi esse possunt. Si quis prius grāmaticus fuerit effectus, deinde musicus, hic non est factus grāmaticus, cum esset musicus. est autem grāmaticus quando est musicus. qui ergo dicit, musicus existens est grāmaticus: is etiam, musicus est gram- maticus, dicit. At quod aiunt omne ens sempiternū esse, aut natium, de entibus per se intelligi debet. Præterea vt est, est autem per accidens, sic est effectū. Musicus enim factus si prius erat grāmaticus, neq; enim ambo simul effectus est, musicus inquam & grāmaticus, ex accidenti grāmaticus mu- sicus est effectus. Vt igitur talia huiusmodi sunt, sic efficiuntur. Ac Sophistarū quidem captiones hu- iusmodi sunt. Aristoteles autem sic ipsorum sermonē suggerit. (Interrogant, inquit, si id omne factū est, quod est quidē, sed nō perpetuo) id est, an omne quod iam est, quandoq; autē non erat, factū fue- rit? Si enim cum prius nō esset, nūc est, haud dubie factū est. Item si Coriscus musicus existēs est grā- maticus, cum prius nō esset, profecto musicus non est effectus grāmaticus, ac vicissim grāmaticus musicus. Et si quid interrogāt, huiusmodi est, vt accidens, quæadmodum dicimus, parū absit ab eo, vt sit non ens. quod ex ijs etiam aperte intelligi potest, quæ modo dicentur. (Eorū enim quæ alio mo- do sunt) id est, eorum quæ non per accidens, sed proprie entia sunt, est ortus & interitus, accidētium non itē. Ergo quæ per accidens sunt, nō entia sunt. quo modo autē entium per accidēs non sit neq; ge- neratio neq; interitus, ipse paulo post testabitur. Et ego locum, cum fuerit eo peruentū, explicabo.

Entiū p ac-
cidens, non
est ortus &
interitus.

Attamen vltorius de accidente dicendum est, quoad dici potest quænam sit ipsius natura, & quam ob causam est. simul enim & cur nulla est ipsius scientia, fortasse pate- bit. Cum igitur in hisce quæ sunt, alia semper eodem modo sese habeant, necessario ve, non necessitate quidem ea quæ per violentiam dicitur, sed ea qua rem aliter sese ha- bere non posse dicimus, alia necessario quidem non sint, neq; semper, sed sint plerunq;: hoc est principiū sane, & hæc est causa, vt sit accidēs ipsū. Quod enim neq; semper est, neque plerunq; id accidēs dicimus esse, veluti si cum sol est in Cane, hyems fuerit atq;

frigus, id dicimus accidisse, sed non si calor fuerit atque æstus, propterea quòd hoc semper aut plerunque, illud non semper, neq; plerunque fieri solet. hominem etiam accidit esse album. neque enim semper neq; plerunque homo est albus, at non per accidens homo animal est. A edificatorem quoq; facere sanitatem per accidens est, propterea quod non est aptus edificator id ipsum efficere, sed medicus, sed accidit edificatorem medicum esse. Epularum etiam effectus voluptatem coniectas, salubre quippiam fecerit, sed non epularum conficiendarum facultatis officio ratione ve. quapropter dicimus accidisse. atq; aliqua quidem ex parte facit, absolute vero non facit. Nam ceterorum quidem aliarum potentiarum interdum sunt effectrices. at horum nulla prorsus est ars, nulla potentia definita. eorum enim quæ per accidens sunt vel fiunt, & causa per accidens est. Quare cum non omnia necessario semperque sint aut fiant, sed plura plerunque sint aut fiant, id quod est per accidens, tale esse necesse est, qualis ipse albus musicus est, qui quidem neq; semper est, neque plerunque. Cum autem aliquando fiat, per accidens erit: alioquin omnia necessario erunt. quare materies erit ipsa, quæ contingens eius est causa accidentis quod aliter evenit præter id quod plerunque fieri solet. Principium autem hoc est sumendum, vtrum nihil sit prorsus in ratione rerum, quod neque semper est neque plerunque, an id ipsum fieri nequeat. Est ergo quippiam præter ista, quod æque atque per accidens, & esse, & non esse potest. At est ne id quod plerunque fieri solet, quod autem semper sit, in ratione rerum non est: an sunt aliqua quæ perpetuo sunt? De his igitur posterius considerandum esse videtur. Scientiam autem accidentis non esse patet. omnis enim scientia, aut eius est quod est semper, aut eius quod est plerunque. Quoniam pacto quispiam aut discet, aut docebit. Definitum enim id esse oportet, quo de scientia est, aut hoc ipso quod semper est, aut hoc ipso quod est plerunque, veluti conductentem esse febricitanti plerunque aquam mulsam, aut quippiam tale. Id autem quod præter hoc est, dicere non poterit, veluti calendis. aut enim semper, aut plerunque calendis etiam dicat prodesse illud oportet. at accidens est præter hæc ipsa. Quid igitur est ipsum accidens, & quam ob causam est, ac scientiam ipsius non esse, satis iam per ea quæ dicta sunt, innotescit.

7 Attamen ulterius de accidenti dicendum est, quoad dici potest, quænam sit ipsius natura.) Præfatus accidens parum abesse ab eo, ut sit non ens, nunc causam reddit, cur idem cum ex numero non entium sit, entibus tamen annumeretur. Ergo licet accidens, inquit, ex numero sit: quodammodo non entium. quatenus enim cum generatur est, hæc tamen nuncupatur ens. quia vero ex ijs est, ut docebit, quæ minore ex parte raroque fiunt, est non ens. Et ob hanc causam scientia de ipso non habetur: quoniam doctrinas eorum esse constat, quæ semper sunt, aut certe magna ex parte. Differendum tamen est, ait, de accidenti, quatenus licet, natura eius qualis sit, & quam ob causam, & propter quid est de numero entium, & omnino ens. Cuius natura exponenda, simul cur eius non sit doctrina, simul aperietur. Entium ergo, ait, quedam semper & necessario sunt, homo enim semper ac ex necessitate est animal. Sed quoniam necessarium, ut in superiore libro explicatum est, id etiam dicitur, quod vi alata sit, idcirco adiecit (non necessitate ea quæ per violentiam efficitur.) Siquidem homo semper & necessario est animal, non quòd animal esse per vim cogatur, sed quia non potest non esse animal. Cui igitur quedam semper & necessario sint, alia licet non necessario neque semper, magna tamen ex parte, neque enim necessario, neque semper homo quinos habet digitos, sed tamen magna ex parte. (Hoc est principium sane, & hæc est causa, ut sit accidens ipsum) interiectio enim qua id quod magna ex parte fit, interpellatur, accidens dicitur. Nam cum æstus semper sub cane infestare soleant, si quando id temporis hyemaverit, ea continentis æstus interruptio, accidens appellabitur. Et frigus sub cane ut fieret, accidisse dicimus: quæ admodum exempli causa, si duas lineas continenter augescentes animo depingas, alteram continenter & in infinitum, alteram continenter quidem crescentem, sed quadantenus, deinde consistentem, & quæ rursus procedere incipiat. Harum igitur priori, quæ sine intermissione semper augetur, assimilare id potes quod semper & necessario est, alteri vero id quod magna ex parte fit, non tam semper existit. Itaque si sub cane hyemaverit, frigusque fuerit, id accidisse dicimus, non ita si tepor & æstus. Semper enim, aut magna ex parte sub cane fit æstus. A edificatorem quoque valetudinem efficere, accidens appellat, quoniam edificator neque semper, neque magna ex parte valetudinem affert. Neque enim ad edificatorem, sed ad medicum pertinet valetudinem afferre. (Epularum etiam, inquit, effectus voluptatem coniectas, salubre quippiam fecerit.) Sed ex accidenti, si forte cibum eiusmodi cõdiuerit, qui possit valetudinem restituere. Accidit enim ut talis cibus valetudinem efficiat.

Doctrinæ,
eorum sunt,
quæ aut semper
sunt,
aut magna
ex parte.

Accidens
quando dicitur.

Et certo quodammodo, nō autem simpliciter valetudinis est auctor. In eo enim quod a coquo cibus huiusmodi conditus est, quo ægrotans valetudinem recepit, coquus effecit salubre. In eo vero quod ille non hoc agebat, vt salubrem, sed vt iucundum cibum efficeret, salubrem non effecit. (Nam cæterorum) id est, eorum quæ magna ex parte ac necessario sunt, causæ ac efficientes potestates determinatæ sunt. (At horum) quæ fiunt ex accidenti, ars nulla, nulla potestas determinata est: quoniam vt in librum incidas, quem optabas, & iam pridem quærebas, nulla neq; ars est determinata, neque facultas, quippe cuius possint esse causæ sexceteræ, prodire in forū, insectari, insectareve, & pleraq; alia: quandoquidem quæ ex accidenti vel sunt vel efficiuntur, eorum causæ ex accidenti quoque sunt, & indeterminatæ. Itaq; cum non omnia sint ex necessitate, vt semper vel sint vel fiant, sed pleraq; habeantur, quæ magna ex parte, idcirco esse ait quod est quasi accidens. Quia enim homo neq; semper, neq; magna ex parte albus est, sed aliquando efficitur, ideo per accidens est. Vel potius quoniam thesauri inuentio neq; semper fit, neq; magna ex parte, ideo inuentio thesauri per accidens est. Quod si quis inuentione thesauri, & alia per accidens esse neget, is eadem necessario esse confirmabit, eruntq; omnia ex necessitate. At eorum quæ sunt ex necessitate, causæ determinatæ sunt. horum autē nullius est determinata causa, præsertim cū in secundo libro de enunciatione, non omnia necessario esse demonstratum sit, sed esse aliquid quod contingens appellatur. Cæterum quænam causa est, cur accidens esse dicatur? an materia quæ aliter quàm vt plerunq; fit, sese habere potest? Nam cum materia hæc apta sit admittere vt hi digitis quinis generentur, illa non item, & huiusmodi naturam habeat, vt hoc iam fieri possit, vt quidam scilicet quinis digitis orientur, iam secus, id est, vt quaternis, aut senis, aut aliquo alio numero, hæc causa est, vt accidens existat. Exposito igitur quid sit accidens, viam nobis & quasi normam tradit, qua quidem accidens esse demonstrare valeamus. Si cui ergo, inquit, accidens esse demonstrare libeat, initio sumat, quidquam esse præter semper, & frequenter. Quod ita demum accipiet, si aduersarium percontabitur, sit ne quidquam præter frequenter & semper, an non? & ille vsu rerum adductus omnino concedat aliquid esse præterea, quod quidem fortuitum est, siue accidens. Hęc effatus, quærit, num id quod plerunq; fit, in rebus habeatur, non item quod semper & necessario: an vt aliqua magna ex parte sunt, sic quædam sempiterna, & per contactus respōdet. sed de his posterior est considerandum, in decimo scilicet huius operis libro, plenius autem & accuratius in vndecimo. His expositis perspicuum hinc esse ait, accidentis non esse doctrinam, cum disciplinæ eorum sint, quæ semper, vel quæ ex magna parte sunt. Et quorum habentur scientiæ, ea determinata sint oporteat, & in ipsis contineantur, in ipso inquam semper, & in frequenter, nec ea prætergrediantur. Nam quod illa præterit, accidens est. Exempli causa docet quispiam alterum, aquam mulsam febriētibus opitulari, propterea quod febre laborātib; magna ex parte subuenit. Id vero quod extra frequenter accidit, docere nemo valeat, exempli gratia calendis subuenire, cum hoc raro contingat. Neq; enim magna ex parte qui calendis mulsam biberit, a febre subleuatur, sed potius quoniā magna ex parte qui mulsam bibit, adiuuatur, idcirco accidit vt id calendis conducatur. Quamobrem ediuerso quod calendis est vtile, id vel semper est vtile, vel magna ex parte. Accidens autem præter semper & frequenter est, cuius quidem accidentis scientiam nullam habemus. (Quid est igitur, inquit, ipsum accidens, & quam ob causam est, ac scientiam ipsius nō esse, satis iam per ipsa quæ dicta sunt, innotescit.) Docuit enim accidentis natura quæ sit, quod scilicet ex æquo raroq; contingit: & quam ob causam sit, nimirum propter materiam quæ aliter habere potest quàm frequenter. Ad hæc accidentis nullam esse doctrinam, propterea quod disciplinæ eorum habeantur, quæ semper sunt, vel certe quæ magna ex parte, quod vtrunq; ab accidenti alienum est.

Quæ sunt ex necessitate, causas habent determinatas.

Accidentis nō esse doctrinam.

Esse vero principia causæve tales vt orientur ac occidant sine generatione corruptione, patet. Si enim res non ita sese habeat, omnia necessario erunt, si eius quod fit atq; corrumpitur, non per accidens causam aliquam esse necesse est. eritne hoc, an non erit? Si hoc fiet, erit. si non fiet, non erit. id autem erit, si aliud fiet. atque hoc pacto si tempus semper auferatur, ad id demum perueniet, in quo nunc est. quare hic homo morietur morbo, aut vi, si egressus fuerit urbem. hoc autem erit, si aliud fiet. atque hoc pacto ad id demum perueniet, in quo nunc est, aut in quippiam eorum quæ facta sunt: veluti si sitiret. hoc autem erit, si comedit salsa. at hoc est, aut non est. quare necessario decedet, vel non decedet. Eadem etiam erit ratio & si quispiam ad ea quæ sunt facta, saltauerit. est enim iam id ipsum in aliquo, atque dico id quod est factum. Vniuersa ergo futura necessario erunt, veluti morietur iste qui viuit. iam enim quippiam factum est, ceu contraria facta corpore in eodem. sed morbo ne, an vi morietur, nondum emergit, sed si hoc fuerit factum. Patet igitur vsque ad aliquod principium reductionem hanc proficisci, quod quidem non vltius in aliud proficiscitur, atque illud principium eius erit quod fit per accidens, & esse atque non esse potest, causaque generationis illius non erit vlla. At considerandum est ad quod principium atq; causam

talis reductio proficiscitur, ut ad materiam ne, an ut ad id gratia cuius cætera fiunt, an ut ad id potius a quo motio profluit.

8 Esse vero principia causalve tales, ut orientur & occidant sine generatione & corruptione, patet) Quæ per
Propositum ei est, ut quæ per accidens sunt, horum causas quoque ex accidenti esse demonstret, eas
demq; citra ortum & interitum esse & non esse, more contactuum, & temporis momentorum. Ut
enim contactus & momenta, quæ temporum termini sunt, absq; generatione sunt, & absq; interitu
non sunt, sic eorum quæ sunt ex accidenti, causæ quæ & ipsæ per accidens sunt, absq; generatione sunt,
& sine interitu non sunt: quandoquidem domus ædificata huic iucunda est, illi nocua, & appropin-
quanti umbram iactat, longius abienti non ite. Itaq; ædificator, qui per se principium est causaque
domus, eius quod accidit domui, ut ingrata sit, vel umbrâ iactet, est ille quidem causa, sed tamē per
accidens. Aedificator igitur quatenus causa domus est factus, per generationem seu disciplinam eo
deductus est, ut esset ædificator. Ac vicissim interit, ut domus est causa. quia enim accidit ædificatori
qui per se causa domus est, ut fieret etiam causa uti eadem propinquum adumbraret, aut cuiusdam es-
set molesta, idcirco adūbrandi causa est, sed non huc per generationē & doctrinam processit, ut illuc
ut esset ædificator. Nam ut ex non homine per generationē eo deductus est, ut esset homo, sic ex nō
ædificatore per generationem quandā & disciplinam & omnino tēporis moram eo peruenit, ut es-
set ædificator, ac domum valeret construere. Eo vero ut domus illi esset grata, huic iniucunda, haud
quaquam per huiusmodi quidq; processit: quippe quod nec curavit unq; nec eius quidquā interfuit,
ut domū edificaret. Sed absq; tempore accidit ei, ut causa esset cur domus foret ingrata. quia enim is
cui est molesta, sic est affectus, ut facile a quibulvis offendatur, idcirco ædificator qui hanc constru-
xit, causa factus est, ut ipsa esset ingrata. Ad quā si quis alter recte affectus venisset, non fuisset ei mo-
lesta. Cæterum de his in decimo huius operis volumine rursus disputabit. Ut autem ædificator, qui
per se causa domus est, id per generationē est effectus, sic vicissim ut causa domus per interitū abole-
bitur. Et quemadmodum absq; tempore factus est causa ut ipsa esset molesta, sic vicissim sine tēpo-
re desinit esse. Quod quidem ipse demonstrat, primū quasi confessum assumēs, quorū causæ & prin-
cipia per generationem fiunt, ea necessario esse. Quod si quorū causæ, ut in domo, per generationem
fiunt, ea sunt ex necessitate, nimirum quæ non ex necessitate sunt, horum causæ citra generationem
& interitum nō sunt. (Nisi enim hoc, inquit) id est, nisi entium per accidens, causæ per accidens sunt,
nec absq; ortu & interitu natiuæ sunt atq; mortales, sed necessariae & per se sunt ipsorum causæ, &
per generationem ac interitum nascuntur & occidunt. Nisi ergo entium per accidens, causæ sint ex
accidenti, sed necessario, ipsa quoq; necessario fuerint. Positum est enim, quorū causæ sunt ex necessi-
tate, ea quoq; necessario esse. Quod si sic est, cuncta erunt ex necessitate, quod fieri nō potest. Esse au-
tem ea necessario, quorum causæ sunt ex necessitate, certū est. Eius enim domus quæ ædificatur, vel
quam ædificans, qui necessario & per se causa est, ædificavit, eius inquam ædificans cum ipsa ædifi-
catur necessario est, quo existente, ipsa necessario ædificatur. Et domus quæ iam est, necessario fuit
ædificata. Ens enim cum est, necessario est. Quoniam vero domus est ex necessitate, sequitur, ut fue-
rit ædificata. Nisi enim ædificata fuisset, utiq; non esset. Omnia igitur, inquit, necessario erunt, si na-
scentis & intereuntis non per accidens aliquam esse causam sit necesse. Subaudiendum est tamē ver-
bum omnis, ut sit plena oratio. (Si omnis eius quod fit, atq; corrumpitur, non per accidens aliquam
causam esse necesse est.) est autem sensus, si omnium nascentium & intereuntium non est causa per
accidens, ut ex hac natiua & mortalia constēt sine generari & corrumpi, id est citra ortū & interitū,
sed omnis nascentis & intereuntis est causa per se, cuncta erunt ex necessitate, & accidens nullū ha-
bebitur. Quorū enim, ut sæpe diximus, causæ necessario sunt, ea quoq; sunt necessaria. Quibus expli-
catis, eo conuertitur, ut ostendat causas haberi per accidens absq; generatione & interitu, & ait, (Erit
ne hoc, an non erit?) ut si obsidētes hostium urbem dicamus, erit ne hoc, an non? id est, intercidet ne
Nicostratus, necne? respōderi solet, (Si hoc fiet) id est, si egressus fuerit, & superatus ab hostibus, ob-
truncabitur. Necis ergo causa est, exire: exeūdi rursus, ut aquam biberet: huius, quod sitiēbat: sitiēdi,
quod salsa comederat. Sed hæc causa per accidens est. Fieri enim potest, ut qui salsa nō comederit, si-
tiat, si multo motu fuerit vsus, si plurimū vini biberit, & pleriq; alijs de causis. At si salsa comedis-
set, causa per se foret sitiēdi, cibis falsis non assumptis non sitiret: quemadmodum nisi ædificator sit,
domus non construeretur. nunc autem citra cibi falsi comestionem sitit. non est igitur sitiēdi causa
per se talia deuorasse. sitire igitur, quod ipsum causa est exeūdi, citra generationē est effectum. Siqua
enim materia siti subijceretur, quæ alterata, hoc quod sitis efficeretur, quemadmodum menses mu-
liebres alterati hoc fiunt quod animal, tunc probabile dictū esset, atque adeo necessarium, sitim fieri
per generationem. Quod quia non est, ne hoc quidem asseri potest. Sitis enim fortasse quibusdā af-
fectionibus in corpore genitis absq; tempore ingeneratur, ut forma ingeneratur materiæ. Cum er-
go dixisset, (si hoc fiet, erit: si non fiet, nō erit. Id autem erit si aliud fiet) intulit, (Et hoc pacto haud
dubie si tempus semper auferatur finitum, demum perueniet ad nunc) id est, si tempus hoc in illud
resoluitur, & id rursus in aliud, perueniet ad nunc, id est ad tēpus quod nūc est, in quo est sitiens, id
est, vsque ad sitiendum. Deinde per vim intereundi exemplum apposuit (si egressus fuerit urbem)
morbo autē intercidenti nullum subiecit, sed nos id paulopost explicabimus, cum ipse rursus de hoc

Quæ per
accidens
sunt, causas
habent per
accidens.

Quorū cau-
sæ sunt ex
necessitate,
ea quoque
necessario
sunt.

mentionē faciet. Faciet enim. Ergo cum dixisset, (& sic perueniet ad id quod nunc est) suggestit exemplum illius (ad id in quo nunc est) dicens, (moriatur si egressus fuerit. Hoc autē erit si aliud fiet, atq; hoc pacto ad id demum perueniet in quo nunc est) quibus verbis adiecit, (aut in quidpiam eorū quę facta sunt) cuius exemplum esse videtur id quod sequitur. (Veluti si sitierit, hoc autem erit, si comederit falsa) tamē non est ipsius, sed hoc quoq; superioris est exemplum, cuius memor paucis interiectis sermonem repetit, vt huius quoq; posterioris exemplum apponat, cum ait. (Eadem etiam erit ratio si quispiam ad ea quę sunt facta, saltauerit) Facta enim & factum significantia sunt pręteritorū. Tamen cum dixisset (veluti si sitierit. hoc autem erit si comederit falsa) subiicit. (At hoc) id est, falsa comedere (est, aut nō est) Quod vero ait, (quare necessario decedet, vel non decedet) cōclusio dictorum est. Quasi dicat, quamobrem sic sese rebus his habentibus, si bibitum egressus fuerit, necessario morietur. sin minus egredietur, non interibit. His ergo ad hunc modum explicatis, orationē vt dixi resumit, & factorum suggerit exempla. Similiter autem si quis a pręteritis inceperit, futuris occurreret, non tamen a futuris vt prius idem ad pręsens fiet. Nam quod factum est, iam inest in aliquo. si ab hoc igitur exordiemur, vt dictum est, perueniemus ad nūc. Quod quidem est causa per accidens. Cęterum quidnam est iam factum in aliquo esse? an elementa esse in viuēte? Propterea enim quod iam viuit, elementa in eo insunt. Hoc igitur viuit, quoniam contraria ignis terrę & his interiecta in eodem facta sunt. Et si hoc est, interibit. necessario igitur quod ex oppositis est factum, interciderit. At mortis eius causa incerta est, quoniam ex accidēti est, non per se, cum valeat tum morbo, tum vi allata concidere. Ratio igitur vt iterum repetatur, est huiusmodi. Hic occidet, quoniam contraria in eodem coiere, morietur autē si ægrotabit. Accidit enim ijs quę oppositis constant, vt ob ipsorum pugnam ægrotent. Aegrotabit autem hydrope exempli causa, quod fiet si aquam biberit. Itaq; si aquā potauerit, in hydropem incidet: quo morbo si conflictabitur, mortem obibit. Estq; potio aquę hydropis causa, vt morbus ipse moriēdi, non tamē per se. Fieri enim potest, vt qui aquam non biberit, ægrotet hydrope. Atque hęc quidem sunt exempla, quę mortis per ægrotationem appetitę supra ipsum esse suggesturū pollicebamur. Mortis nanq; violentę de qua supra mentionē fecit, exemplum fuit, si ab hostibus superaretur. Ex dictis ergo planum efficitur, nō esse progressum in infinitū aliam alij causam tribuendo, sed causę cuidam principioq; occurrit, cuius nō sit alia causa, exempli gratia, falsa comedisse, quę quidem fortuitę rei, moriēdi dico, principium est. Si enim egressus fuerit, occumbet. sin minus, non morietur. rei ergo fortuitę siue accidētis causa per accidens est. Accidit enim vt qui falsa comedisset, sitiret. His commemoratis, quærīt vtrum huiusmodi causa, hoc est, causa per accidens, materialis nuncupanda sit, an finis, an potius mouens, hoc est efficiens. Sed quęstione proposita nō respondet, ppter ea quod efficiētibus causis, nec cuiq; alij annumerari debere perspicuū est.

Causa per
accidens,
quę nuncu-
panda sit.

Sed contemplationem eius quidem quod est per accidens, omittamus, de ipso nanq; iam satis est definitum. Quoniam autem id quod vt verum est ens, & id quod vt falsum est non ens, in compositione diuisioneve, atq; in contradictionis omnino partitione consistit. nam vero quidem affirmatio ob id quod adiungitur, negatio ob id quod seiungitur, falso autem huiusce cōtradictio partitionis accommodatur. Verum enim falsumq; non sunt in rebus, vt bonum quidem sit verum, malum autem falsum, sed sunt in mente. Circa vero ea quę sunt simplicia, ipsumq; quid est, neq; in ipsa sunt mente. Atq; quoniam pacto fit, vt simul quędam ac seorsum intelligātur, alia ratio est. Dico autem simul seorsumq;, non vt sint, aut non sint deinceps, sed vt vnum quid fiant, aut non fiāt. Ea quidem quę de eo quod ens atq; non ens hoc dicitur pacto, nos contemplari oportet, posterius considerāda esse videntur. Cum autem complexio diuisioq; non in rebus sit, sed in mēte: id autem quod hoc pacto est ens, diuersum sit ab hisce quę proprie entia sunt, mens enim aut substantiam, aut qualitatem, aut quantitatem, aut quippiam aliud coniungit, aut seiungit: id quidem ens quod est vt accidēs, & quod est vt verum, omittēdum est sane. nam causa illius quidem indefinita est, huius autem affectus est quidam mentis, atq; vtraq; circa reliquum genus ipsius sunt entis, & non quicquam extra naturam ipsius entis esse significant. Quapropter hęc quidem omittamus, ipsius autem quod est, vt ens est, causas principiaque consideremus oportet. Patet autem per ea quę dicta sunt eo in loco, quo quot modis dicitur vnumquodq;, declarabamus, id quod est, non vno modo, sed pluribus modis dici.

Sed contemplationem eius quidem quod est per accidens, omittamus. De ipso nanq; iam satis est definitum. Quoniam autem id quod vt verum est ens. Postquam de eo quod per accidens est, quatenus proposito conducit, disputauit, sed accidentis, inquit, quęstionē omittamus. de hoc enim abū de differuimus. At cum verū quoq; appelletur ens, & falsum non ens, id in cōpositione ac diuisione

cōsistere ait. Nā cum id quod cuiuspiam adest, cum ipso cōponimus, vt sedere cum Socrate, quoniam id ei contingit cum dicimus Socrates sedet, hoc ipsum quod est verum, dicitur ens : quoniam quod adest, componitur cum subiecto, seu prædicatur de ipso. Quo Socrate sedente, si Socratem sedere nō dicamus, cum id falsum sit, appellatur non ens, propterea quod falso diuidit, hoc est negat sedere de Socrate. Quoniam igitur ens quasi verum, & non ens quasi falsum, & omnino, id est vt simpliciter loquat, ens tanquam verum, & non ens tanquam falsum in contradictionis partitione versatur. (Nam quod vere est, inquit, affirmationem cōtradictionis in composito habet) id est, ens quasi verum constituitur, cum prædicatum vere cum eo componimus de quo prædicatur. Non ens autem quasi falsum est, cum prædicatum a subiecto falso diuiditur. Et omnino falsum partitionis huius cōtradictionem inducit, id est altera pars contradictionis est. Sed ens tanquam verum est, cum prædicatum vere cum subiecto copulamus. Falsum vero oppositum. At si qua sunt quæ tum separatim, tum simul dicta intelligi valeāt, vt animal & pedestre & bipes, (hæc enim quæ separatim intelliguntur, possunt etiam quasi vnum intelligi) hæc, inquit, alia quæstio est, quam in proximo libro disputatur, merito hoc in loco prætermittit. Sed cum dixisset (quoniam pacto fit, vt simul quædam ac seorsum intelligantur, alia ratio est) quale id sit quod dixerit, simul ac seorsum exponit, dicens. (Dico autem simul seorsumque non vt sint, aut non sint deinceps) id est, non simul dico quæ ordine quodam consequuntur, vt Ilias, cuius post primum librum sequitur secundus, & pari ratione cæteri. Non simul autem quæ huiusmodi ordinem non seruant, sed quæ vnum effici possunt, ea simul dico: quæ minus, ea non simul. Sed quoniam supra dixerat, ens tanquam verum, & non ens tanquam falsum in compositione ac diuisione versari, quibusdam interiectis, causam suggerit cur huiusmodi ens & non ens in compositione ac diuisione versetur, cum ait. (Nam neque falsum neque verum in rebus inest.) Itaque orationis continuatio est huiusmodi. (Quoniam autem id quod vt verum est ens, & id quod vt falsum est non ens in compositione & diuisione consistit. neque enim falsum & verum in rebus inest.) Nisi enim verum & falsum esset, quædam nostræ mentis affectio nec in compositione diuisioneque, sed in rebus haberetur, vt ipse ait, dicendo bonum statim verum dicere oporteret, & bonum esset verum: atque dicendo malum diceret falsum, & contra dicendo malum protinus verum dicere oportet, dicendo bonum dicere falsum. At neque bonum dicentes, verum dicimus aut falsum, neque si malum dicamus, non igitur in rebus verum & falsum inest, sed in mente. Neque vero solum in rebus non inest verum & falsum, sed ne in simplicibus quidem, quæ habentur in mente. Quo in loco simplicia res vocat, quæ ipsæ per se citra compositionem & diuisionem intelliguntur. Hæc effatus, sermonem concludit, dicens. (Ea igitur quæ de eo quod ens atque nō ens hoc dicitur pacto, nos contemplari oportet, posterius consideranda esse videntur) quasi dicat, cum ens tanquam verum, & nō ens quasi falsum in compositione & diuisione versari dictum sit, quæcunque ad huiusmodi entis & non entis considerationem pertinent, postea differenda sunt. (Cum autem, inquit, complexio diuisionis non in rebus sit, sed in mente) complexionem & diuisionem vocans verum & falsum (Id autem quod hoc pacto est) id est ens quasi verum, quod in compositione ac diuisione consistit (diuersum sit ab hisce quæ proprie entia sunt) id est ab indiuiduis substantijs. has enim appellat proprie entia, vt in proximo libro declarabit. intelligibilium namque alia ratio est. Deinde ens quasi verum, quomodo a proprie entibus diuersum sit, exponit. Nam mens, inquit, quid est & substantiam cum substantia coniungit aut diuidit, aut vicissim quale vel aliquod aliud prædicamentum cum substantia. Cum hæc igitur ad hunc modum sese habeant, ens quasi accidens, quoniam de hoc satis differuimus, sed & ens tanquam verum, de ipso enim postea disputabimus, nunc omittantur. Cuius omissionis ipse causam reddit, quod entis per accidens causa indefinita indeterminataque sit. De indeterminatis autem non debemus esse solliciti. Ens porro quasi verum affectus & placitum mentis habetur, nec est admodum necessarium ea indagare, quæ cuius videntur, præsertim cum (vtraque circa reliquum genus ipsius entis sint.) Appellat autem reliquum entis genus, quod proprie, nō per accidens est. In reliquo igitur entis genere versantur, nec vllam extra naturam, quæque ens supergredias tur significant, sed sub ipso continentur. Quod si inquisitio in causis entis qua est ens, versatur, haud dubie superuacaneum est de his separatim disputare, quod tunc præstandum esset, si hæc entia non subijcerentur. Nunc autem cum subijciantur, omittere satius est, ac entis causas indagare. Ens autem multifariam dici docuimus, cum quot modis quodque dicatur, explicaremus.

Ens, quasi verum: nō ens, quasi falsum.

Verū & falsum in rebusne sint, an in mēte

Simplicia.

Finitur liber quintus, latinis Sextus.